

erant, Nummisque consignata occurrunt, præmittam, Sunt ea primum ornamenta & instrumenta sacerdotalia; ipsorum deinde Pontificum Collegia varia; tum genera Sacrificiorum, ac Ludorum Sacrorum; abinde Aræ ac Tempia. In quibus omnibus cum sapueris, chorum tandem Deorum Dearumque non minimo numero contueberis. Centum sex atque triginta Nummi, qui septem Tabulas opplent, prolixius nobis hic negotium dabunt. PUBL. Ultra spem in me liberalis es; & quandoquidem jam in his Dialogis Proœcialibus tam egregia mihi de religione veterum documenta & monita suggestisti, tanto uberius de futuris confido, & fore arbitror, ut religionis Augustæ cognitionem tua gratia non obiter penetrem.

DIALOGUS VII.

De Coronis, ac instrumentis variis,
& vasis Sacerdotalibus.

PUBLIUS.

I.
Lib. II.
c. 5.
De Nat.
Deor. L.
l. c. 37.
De Bene-
fic. Lib. IV.
F. 19.

STulte quidem *Plinius* dixit: „ Irridendum est, agere cu-
ram rerum humanarum illud, quidquid est summum.
„ Anne tam tristi, atque multiplici ministerio non pollui
„ credamus, dubitemusve? - - - Imperia dira in ipsos (
„ Deos nempe) ne somno quidem quieto, irrogant. Non ma-
„ trimonia, non liberos, non denique quidquam aliud, nisi ju-
„ vantibus Sacris deligunt. „ Plane, ut *Epicurus* apud *Ciceronem*
ajebat: „ Quod beatum, & immortale est, nec habet, nec ex-
„ hibet cuiquam negotium. „ Quem & *Seneca* ita corripuit. „ Deos
(per te) nemo sanus timet. Furor est enim metuere Salu-
„ taria, nec quisquam amat, quod timet. Tu denique, *Epicu-*
„ re, Deum inermem facis: - - - nulla illi nec tribuendi, nec
„ no-

„ nocendi materia est - - - non exaudiens vota, nec nostri cu-
 „ riosus. Ego porro, missa blasphemia, quæ Conditori univer-
 forum Providentiam gubernatricem, & porrectum in omnes imperi-
 um negat, id solummodo ex Plinii dictis elicio, nihil absque Numi-
 ne Divûm, ut fatuæ sibi gentes blandiebantur, uspiam susceptum
 fuisse. Quod vel solum abunde probat, ipsam naturam omnes
 de Deo revincere.

Pariter vero omni tempore, communique consensu creditum
 fuit, peculiaribus Ministris opus esse, qui Deum inter ac homi-
 nes quoslibet, velut Mediatores existerent, & Sacra faciendo
 Deo placarent, eosque supplicibus propitios redderent. Hujus-
 modi porro arbitri gratiæ, & Sacrorum operarii, Sacerdotes di-
 cti, tam Græcis, quam Romanis, ab ipso munere suo Sacri &
 ipsi censebantur, in quorum personam offendere, summo jure
 veritum erat. Majores ex iis appellabantur Pontifices, horum-
 que denuo princeps Pontificis Maximi elogium tulit. PUBL.
 Probe hic recolo, quæ de hoc Principe Sacrorum Part. I. Dial.
 II. n. 5. & 6. docuisti. Cujus collegium tandem ad XV. excre-
 vit; qui præibat Sacerdotibus omnibus, rationem Sacrorum ne-
 mini reddidit; quem plectere, vel dignitate movere, non licuit.
 Curavit Sacra omnia, templa, Sacerdotes, Libros divinos, Fe-
 rias, Calendaria. Quapropter Italia excedere eidem permissum
 non erat, ne quid muneris negligeret. Ante Regiam Domum,
 quam habitabat, Lauri ramus, ante fores conspicuus, eum pro-
 didit; pedes ibat, nunquam eques; domum, ubi funus erat,
 nunquam accessit, cupressu ibi exposita præmonitus. Nubere
 semel, non iterum, potuit.

TULL. Bene habet; solummodo itaque monendus es mi-
 hi, cætera inter Pontificum, & Sacerdotum Ornamenta Coro-
 nam quoque fuisse, testimonio Plinii, de Romulo Rege asseren-
 tis, cum *Eratres Arvales* instituisse: , Huic ab *Acca Laurentia* Nu-
 „ trice sua *Spicca Corona*, quæ vitta alba colligaretur, in Sacer-
 „ dotio pro religiosissimo Signo data; quæ prima fuit apud Ro-
 „ manos *Corona*. , PUBL. Ad *Arvales* jam hæreo. TULL. *Acca*
 mox dicta quotannis cum duodecim Filiis, conductis diebus,
 Cereri Sacra in arvis faciebat, ut ubertatem eorum impetraret.
 d. Romulus æmulatus, institutis duodecim Sacerdotibus, hoc pro
 omni

II.

III.

omni populo mensē semper Majo fieri decrevit. Dicebantur hæc Sacra ab agrorum obambulatione *Ambarvalia* : & quoniam in eisdem Cereri porco primum necato, statimque jugulata etiam ove, item tauro adolebatur, etiam *Suovetaurilia* nuncupta sunt. Hi proinde *Arvales* primi *Spicis* coronati prodierunt.

IV.

Thebaid. *tio* :
III. 466.

Deinde Sacerdotes *Oleaginea* frondebant corona, canente *Sta-*

Huc gemini Vates, sanctam canentis *Olivæ*
Fronde comam, & niveis ornati tempora vittis.

Περὶσεφ. Demum juxta *Prudentium*, in Pontificum, cum primis Maximo-
X. v. 1011. rum, capita etiam aurum immigravit. Cecinit namque :

Mire insulatus, festa vittis tempora
Nectens, Coronatum repexus *Aurea*.

In Domi-
tian, c. 4.

Conspirat huc pariter *Suctonii* locus, de Domitiano inquietis : ,
,, In Stadio - - præfedit, capite gestans *Coronam Auream*, cum
,, effigie Jovis & Junonis, Minervæque, assidentibus Diali Sa-
,, cerdote, & Collegio Flavialium, pari habitu, nisi, quod illo-
,, rum *Coronis* inerat & ipsius imago, Fulgebant igitur coronis
aureis, ut ipse.

V.

TAB. I.
N. I.
Imp. p
37.

PUBL. Tandem in quo vehementer lætor, Nummos intue-
ri licebit. Primis porro in duobus Tabulæ tuæ I. mihi pere-
grinis, Coronas quidem cerno, nihil tamen in eis video. *TULL.*
Prior eorum Coronam exhibet ex herba, quam nec ipse Cl. *Pa-*
tinus novit, pingens hunc Nummum in *Augusto*, cujus caput in ad-
versa exhibet, cum epigraphe: ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ : i. e. *Caesar*
Augustus Pontifex. Intra Coronam averfa legas : ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ
ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ : h. e. *Summus Pontificatus*, quem *Antiochia* obtulit *Augu-*
sto, vel ab eo susceptum esse gratulabatur. Quænam porro tot
inter urbes, hoc nomine appellatas, Nummum hunc signaverit,
incertum. Plures quidem Antiquariorum hanc imaginem orbi-
cularem, spatii parvulis æqualibus perpetuo divisam, veluti
cornua, sinumque maritimi Portus respexerunt, quasi ad nor-
mam

mam *Neroniani* Numi illius cum Portu Ostiensi, quem tibi pinxeram Part. II. Tab. VI. n. 3, Verum tamen coronam hic exhiberi, luculente produnt foliola herbæ triplicata, tanquam trifolii, circumundique prominentia; & Pontificalem illam esse, utriusque partis epigraphes demonstrant, *Patino*, & *Joberto* ad stipulantibus.

Græcorum autem de Sacerdotiis, cum primis Pontificatu Maximo, late, suoque more quam eruditissime differuit *Ill. Spanhemius*, docens, hunc posteriorem frequenter cum summo Magistratu Civili in una eademque persona fuisse conjunctum: ut, sicut Præses aliquis non uni Urbi, sed integræ Provinciæ jura dedit, ita idem pariter, tanquam simul Pontifex, totius Provinciæ Sacerdotibus in Sacrorum cura leges dictaverit. Cujus testem certissimum in multis aliis advocavit Numum, sub *Antonino Pio* signatum, sicque inscriptum: ΚΟΙΝΟΝ ΙΓ ΠΟΛΕΩΝ ΠΡΟΔΙ. ΦΡΟΝΤΩΝ. ΑΣΙΑΡΧΟΥ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΙΓ ΠΟΛΕΩΝ: i. e. *Commune XIII. Urbium Prædico Frontonis Asiarchæ & summo Sacerdote XIII. Urbium.* Nihil itaque vile se offerre Augusto rebatur Antiochia dum eidem hoc in Numo, quem ego pinxi, Pontificale Diadema repræsentavit.

Numum alterum protulit *Aeneas Vicus* Argento *Augusti* 47.^{mo} quem tamen inter ejus Numos apud *Argelatum* non offendi. Exhibet ille Insigne Sacerdotii per Coronam, e capitibus Boum, item pateris libatorii contextam: quæ omnia hujusmodi vinculis connexa sunt, quibus victimæ, dum ad aram deducerentur, illigari solebant. In medio, ut videbatur *D. Comiti Zantano* Indic. p. 14. consistit Candelabrum: in cujus pede rursus tria capita victimarum: stipiti exsurgenti duæ iterum pateræ insertæ, supra imposito urceo. Pone legitur: AUGUST. Nisi Numus hic fallat, non persuadeas tibi, quemquam Pontificum hujusmodi Corona incinctum aliquando prodiisse, quæ merum Sacerdotalis ordinis fuit Insigne, & veluti Pictura loquens, Victimarum imagine principem Sacrorum partem oculis ingerens. Quocirca existimes, velim, eam in hoc Numo consecratam fuisse *Augusto*, ut Pontifici maximo: quemadmodum alias vidisti, in auro ejusdem, vel argento, aut Ære, dedicatam eidem Coronam Lauream, ut *Victori*, Querneam tanquam Civium Conservatori.

VI.
Tom. I.
p. 416. fqq.

VII.
TAB. I.
N. II.

VIII.

PUBL. Nihil in his jam subest, quod me ulterius moretur, Id solummodo oro te, ut me doceas, de *Rege Sacrificulo* quid credam, quem olim, dum de Pontifice Maximo latius dixeras, huic subjectum asseruisti. *TULL.* Haud parvum hoc sub munere mysterium latuit. Reges quippe Romani, ut stationem suam tanto securius tuerentur, vulgarunt in populum, esse quædam Sacra, unde fortuna Romana multum penderet, quæ tamen Diis grata non forent, nisi a Rege agerentur. Hæc opinio cum plebis mentes alte infederit, oportuit Senatam, exactis Regibus, curare, ut Pontificum, Augurumque suffragiis *Sacrorum Rex* constitueretur, qui primum erat *Marc. Papyrius*. Teste autem *livio* id Sacerdotium Pontifici subjecere, *ne additus Nomini honos Libertati aliquid officeret.*

Libr. II.
Dec. III.
c. 8.

IX.

Acera
Nov. Phi-
Iolog. P.
I. p. 657.
sqq.

Solum itaque Regis nomen, & alter a Pontifice Maximo locus, utque Sacerdotibus aliquibus, cum primis Flamini Diali, studiosius intenderet, utque publica Sacra ipse inchoaret, eidem permissum fuit. Magistratu omni, & facultate in rebus publicis caruit. Domum, quam habitabat, Regiam dixere, & conjugem ejus Reginam. In Sacris, mox ut illa peracta erant, non modo abscedere, verum etiam ob odium Regii nominis, celeriter effugere debuit. Sanctitatis tamen ejus tanta ratio habita est, ut profanari eam crederent, si serviles hominum labores intueretur. Quare, dum per Urbem processit, præeuntes eidem præcones publice admonebant, ut a laboribus, donec ipse transisset, universi cessarent.

X.

PUBL. Ut audio, Romanis non minor, quam Hebræis, pro munditia Sacerdotum suorum sollicitudo fuit. *TULL.* Omnino fatui idolatræ, cum impurissimos deos colerent, in Sacerdotibus puritatem summam expetebant. Unde apud Græcos pariter, jam solis pueris, donec puberes evaderent, jam solis virgunculis tenellis, jam eunuchis duntaxat Sacerdotia collata sunt. Omnibus in universum, Sacra facturis, haud aliæ vestes, quam lineæ, candidæque permittebantur, quæ totum corpus a capite usque ad calcem obvelarent.

XI.
TAB. I.
N. III.

PUBL. Tertius tuæ Tabulæ Numus, ex denario meo argenteo a te pictus, pleraque prope omnia sacerdotalia Instrumenta, utraque sui parte, perbelle profecto colligit. In Adver-
sa

sa quippe medium tenet Urceus, aquæ lustrali deferendæ adhibitus: dextram Lituus Auguralis, lævam corvus vaticinus occupat: supra Patera, fundendis liquoribus apta collocatur. Legitur hic in summo: *Marcus ANTONIUS IMPERATOR*. In Aversa medio stat erecta securis, imposito capite bovino, per eam secto: hinc Simplus, & Aspergile: inde Tutulus, cum apice suo, ac filaminibus. Desuper: *Marcus LEPIDUS IMPERATOR*. Ambo isti cum Cæsare Triumviratum Reipublicæ constituendæ, donec alter ab altero periret, laborante sub eis libertate Romana, gesserunt.

TULL. Rite omnia. Sed horum vasorum forma, æque ut materies, alia demum ac alia, semperque elegantior evasit. Fideilibus ærea, argentea & aurea successerunt. Celeberrimus *Montfalconius* miram eorum varietatem, artemque pulcherrimis iconibus ex præstantissimis Gazophylaciis exhibuit. Non tamen omnium ratio certa, ususque proprius, vel a perspicacissimis reddi hodie potest. Cæterum hunc tuum Denarium *Patinus* primum in Gente *Emilia*, quo pertinuit *Lepidus*, deinde in *Antonia* quoque p. 11. & 26. exhibuit, desiderata vero Patera, & gallo galinaceo corvi loco depicto. Reprehendit hoc etiam in *Vaillantio* Eruditiss. *Liebens*, qui corvum habet, pariter tamen absque Patera. Afferit quippe, Gallum ad Pullarios atinere; corvum autem, vaticinii causa, proprium augurum esse, juxta illud Junonis ad Pavonem apud *Phaedrum*.

XII.

Tom. I.
P. II.Goth.
Num. p.
217.Lib. III.
Fab.
XVIII.

Fatorum arbitrio partes vobis sunt datæ:
Tibi formæ, vires Aquilæ, Luscinia melos,
Augurium corvo, læva cornici omnia.

PUBL. Qui sequitur, Numum quartum, ob epigraphes Græcas, recensere, tuæ gratiæ erit. *TULL.* Excepi eundem ex *Golzii* Jul. Cæs. primæ editionis Brugis Flandriæ de Anno 1563. Tab. I. & XVI. Adversa capite *Julii Cæsaris* laureato nitet in argento, retro appposito Lituus, cum titulis: ΓΙΟΥΛΑΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡΟΣ: i. e. *Caii Julii Cæsaris Imperatoris*. Aversa Tripodem Apollineum sistit, supra capitibus bovinis ornatum, lu-

XIII.

TAB. I.
N. IV.

cente desuper gemina Stella: quæ an Dioscuros fratres, an aliud innuant, ambiguum. A dextris deorsum scribitur: APX EP. MEF. i. e. *Pontifex maximus*: ad lævam: ΔΙΩΝ ΣΤΗΣ. h. e. *Augur. PUBL.* Nihil est, quod hic animum suspendat: cum Jam Part. I. Dial. II. n. 9. sqq. de Augurum Collegio, proximo a Pontificibus, me satis docueris: unde & novi, Jul. Cæsarem & Pontificem pariter, & Augurem Maximum fuisse. Tripodis quoque Apollinei ac Delphici rationem exponere mihi dignatus es in Exercitat. Procem. Dial. V. n. 3. & 5. *TULL.* Eleganter meministi, tuoque discis exemplo, Numorum cognitioni hauriendæ non tantum subesse difficultatis, quantam plures pertimescunt, cum numus numo lucem fœneretur. Advertere tamen libet, cum Tripus vaticiniorum symbolum esset, quæ maxime ab Auguribus fiebant: eum tamen deinceps, ut postea videbimus, etiam Quindecimviris pro tessera fuisse.

XIV. *PUBL.* Numum quintum expeditus edicerem, si de Adversa
 TAB. I. mihi constaret. *TULL.* Redhibet eadem, apud *Golzium* ex au-
 N. V. ro picta Tab. I. n. 8. Caput nudum *Jul. Cæsaris*, absque titulo
 ullo, elogiis omnibus in Aversam dilatis, quæ ibidem comparet
 Tab. XVI. n. 20. *PUBL.* Scribitur hic supra: CAES. ar. AVG. ur.
 PONTifex MAX. imus. Infra: COS. ul. V. tum DIC. tator PERPETuum.
 Hæc inter in medio est Patera, lituo, Simpuloque stipata: omnia
 porro circumdat sertum laureum. Quod vero miror, est, præ-
 conium Auguris hic Pontificatui Maximo præire. *TULL.* Cæsarem
 Augurem, & Maximum quidem, i. e. hujus Collegii Seniore
 fuisse, tacuit Historia, Nummi prodiderunt. [Mirari porro in Cæ-
 sare nihil tantopere debes, qui & in Sacris, & in Civilibus,
 pro libitu mutavit omnia, ut supremæ potestatis, quam sibi mar-
 te & arte asseruit, manifesta documenta in publicum ederet.